



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclvsio III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

nulla hora mutabilis, cum ipsa sit iuge illud sacrificiū, quod uocatur cor contritum & humiliatum.

Quinto, huc pertinet, qd uno cōsensu doctores scholastici discernūt pœnitentiā uirtutis, a pœnitētia sacramentali, ponentes pñiam uirtutē uelut materiā, seu subiectū pœnitētiae sacramenti.

C O N C L V S I O III.

Non solam tamen intendit interiorem, immo interior nulla est, nisi foris operetur uarios carnis mortificationes.

Et hanc assero & probo.

Primo. Ro. xij. præcipit Apostolus, Corpora nostra offerre ho-
stiam uiuentem sanctam deo placentem. Atq; id quomodo fiat
secutus clare & late exponit, dum docet humiliter sapere, inuicē
seruire, diligere, orationi instare, patientiā habere &c. Quo mo-
do & ij. Corint. vi. ait. Exhibeamus nosmetipſos in multa pati-
entia, in ieuiuīs & uigilijs &c. Sed & C H R I S T V S Matth.
v. & vi. docet recte ieunare, orare, eleemosynas dare. Item alibi
Quod supereft, date eleemosynam, & ecce omnia mūda uobis.

Vnde sequitur, quod illæ tres partes satisfactionis, ieunium,
oratio, elemosyna, non pertinent ad sacramentalem pœnitenti-
am, quo ad substantiam factorū, quia sunt de præcepto Christi,
sed pertinent ad eam, quo ad certum modum ad tempus, secun-
dum quod ecclesia ordinauerit, uidelicet quam diu sit orandū,
ieunandum, dandum. Item quantum & quid orandum, quan-
tum & quid non comedendum, quantum & quid dandum.

Verum ut sunt de euangelica pœnitentia, ieunium habet in
se omnes castigationes carnis, sine delectu ciborū, aut differen-
tia uestium. Oratio uero omne studium animi meditando, le-
gendo, audiendo, orando, Eleemosyna uero, omne obsequi-
um erga proximum, ut ita per ieunium sibi seruiat, per oratio-
nem deo, & per Eleemosynam proximo. Per primū uiuat cō-
cupiscentiam carnis, & uiuat sobrie & caste, Per secundū super-
biā uitæ & uiuat pie, Per tertium concupiscentiam oculorum
& uiuat iuste in hoc seculo. Quare omnes mortificatiōes, quas
homo compunctus sibi infert, sunt de pœnitentia interiore, tan-
q; fructus eius, siue sint uigiliæ, labores, inopiae, studia, orationes
suga sexus ac deliciarum, in quantum promouent spiritum.

A ij

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

Secundo ipsem etegit dominus, & omnes sancti eius cum eo
Sic Deniq^{ue} praecepit, Luceat lux uestra coram hominibus, ut ui-
deat uestra bona opera. Nam sine dubio opera bona foris sunt
fructus pœnitentia^e & spiritus. Cum spiritus non faciat nisi uo-
cem turturis, id est gemitum cordis, radicem operum bonorum.

Aduersus has tres meas conclusiones, quidam indignatus, &
sub pelle leonis incedens, posuit, deblateras errorem esse, si quis
uerbum illud pœnitentia negauerit, etiam de sacramento pœni-
tentiae intelligi. Primū, non est propositū meum singulas eius
propositiones confutare, quæ sunt adeo insulse & indocte cō-
positæ, ut mihi impossibile sit creditu, eas fuisse intellectas, tam
ab eo, cuius titulo uulgantur, quā ab eo, qui eas conflauit, quod
& cuiq^{ue} mediocriter ingenioso & in scripturis eruditō, facile pa-
ret, tamen ut & eis ipsis suam inscitiam ostendam (si capaces esse
poterunt) hanc primā dijudicabo. Admitto sub nomine pœni-
tentiae posse intelligi, etiam ludæ pœnitentiā, etiam dei pœni-
tentiam, etiam pictam. & (ut Logici solent) materialiter & secū-
do intentionaliter sumptam pœnitentiam, ideo & sacramen-
tum (id est satisfactionem) At quis negat hucusq^{ue} Theologis qui
busdam non paucis licuisse, totam ferme scripturam corrupte
re audacibus suis distinctionibus & amphibologijs nuper con-
fictis, adeo ut pro Paulo & Christo Paulocentonas & Christo-
cetonas legamus: Ego de germana & ppria uerbi locutus sum
significatiōe, quam Christus in eo uerbo uoluit, aut saltem quā
Ioannes Baptista uoluit, qui non habuit autoritatem instituen-
di sacramenti, & tamen uenit prædicans baptismum pœnitentia-
e dicens, Pœnitentiam agite. Quod uerbum Christus repetit
ac sic nō de sacramento locutus satis credo intelligitur. Tamen
est illorum somnium uerum, Videamus quid sequatur.

Christus sine dubio legislator diuinus est, & doctrina eius ius
diuinū, id est, quod nulla potestas mutare aut dispensare potest.
At si pœnitentia in eo loco a Christo docta, significat pœnitentia
sacramentalem (id est, satisfactionem) & hanc potest Papa
mutare, & de facto mutat pro arbitrio suo, ergo uel Papa habet
in arbitrio ius diuinum, uel est in deum suum imp̄issimus ad-
uersarius, irritum faciens mandatū dei. Quod si hoc audent asse-
tere, qui ad laudem dei, & defensionē Catholicæ fidei, & sap-

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

etæ sedis Apostolicæ honoré, & pro ueritate reuelanda, & erroribus supprimendis gloriantur sese disputare, deniq; si sic hono-
rant ecclesiam, tueruntq; fidem, qui terrifiso & immaniter (pe-
ne dixisse inaniter) iactato titulo, HAERETICAE PRÆ-
VITATIS INQUISITORES uolunt uideri, quid quæ-
so relictum est, uel insanissimis hæreticis, quo & ipsi Papam &
sedem Apostolicam blasphement & criminentur. Hos ego nō
inquisitores, sed insitores hæreticæ prauitatis, libera uoce pro-
nuntiaré. Tales & tam prudenter positæ sunt fere omnes con-
clusiones, quas amplissima illa & innocētissima papyrus passim
circunfert, subiecta uanitati non uolens. Quas si omnes uellem
cōfutare, grandi uolumine opus foret, & totū pene chaos quar-
ti Sententiarum euoluendum cum suis scribentibus. Sed tu le-
teto esto liber & candidus, quo possis ex hac una discere omnes

C O N C L V S I O IIII.

Manet itaq; poena, donec manet odium sui (id est, pœni-
tentia uera intus) scilicet usq; ad introitum regni cœlorum.

Et hanc affero & ostendo.

PRIMO. Certa sequela tanq; corollarium sequitur ex dictis
Quia si omnis uita est pœnitentia & crux Christi, non solum in
uoluntarijs afflictionibus, sed etiam in tentationibus diaboli,
mundi, & carnis, quietiam in persecutionibus, & passionibus
ut ex prædictis, ex scriptura tota, ex ipsiusmet sanctis sanctorum,
& omnium martyrum exemplis patet, certum est quod crux il-
la usq; ad mortem, & sic ad introitum regni durat.

Secundo illud patet etiam in alijs sanctis. Sanctus Augustinus
Psal. viij. pœnitentiales sibi fecit scribi, & eos cum lachrymis ora-
bat & meditabatur dicens, Etiam si Episcopus quicunq; iuste ui-
xerit, nō debere tamen sine pœnitentia de hoc mundo eum di-
scedere. Ita & Beatus Bernardus agonizans clamauit, Perdite ui-
xi, quia tempus perdidisti, Nihil habeo, nisi quod scio, quia cor co-
tritum & humiliatum deus non despicies.

Tertio ratione. Tam diu Crux illa pœnitentia debet durare,
donec secundū Apostolum destruatur corpus peccati, & pereat
uetustas primi Adæ cum sua imagine, & perficiatur nouus A-
dam ad imaginem dei, sed peccatum manet usq; ad mortem, licet

A iii